



RESPUBLICA et STATUS
Regni
HUNGARIÆ.



Ex officina ELZEVIRIANA.
Cum. clb. lsc. xxxiv. *Privilegio.*

LECTORI S.

Post Germaniam absolu-
tam, Candide Lector, De-
scriptionem, Historiam,
& Statum Regni Hun-
garici nunc damus. Quae tria in
ejusmodi operibus necessario con-
jungenda putantes. Repetere enim
non libet, quam frugifera quamque
salubris sit cognitio rerum, cujus
eximia quidem pars commemoratio
tum antiquitatis, tum recentiorum
saeculorum, hoc est, memoria tempo-
rum, locorum, hominum, rerum ge-
starum. Rerum autem quae hic di-
cuntur, veritatem aliorum autorum
fide praestamus. Laborem ergo hunc
nostrum acceptum omnibus futu-
rum non dubitamus. Brevi, si vitam
nobis Deus & otium fecerit, accu-
ratissimam REGNI BOHEMICI
descriptionem procudemus, ne quid
hic amplius desiderent harum re-
rum studiosi.



C O N T E N T A

hujus

O P E R I S.

I.

Descriptio Regni Hungariæ.

II.

De admirandis Hungariæ aquis
dissertatio.

III.

Origo Hungarorum.

IV.

Historia Regum Hungariæ.

V.

S. Stephani primi Hungariæ Re-
gis decretum, in quo leges regni
Hungarici fundamentales.

VI.

Caroli I. Regis Hungariæ decre-
tum, de contributione regia,
& Vrburis, ac nonnullis aliis.

A 3

VII. Re-



I.

DESCRIPTION
HUNGARIÆ.

DE Hungariæ situ acturi commodū existimavimus de Transylvania universa, ejusque limitibus & terminis nonnulla præmittere, ut cetera melius intelligantur.

Transylvania quondam bellipotens regio, Divorum olim Imperatorum Romanorum provinciainclyta, Dacia appellata, plagæ Orientali exposita, & Marte multi nominis fuit temporibus Nervæ Traiani, quam Decebalus Rex tam armis, quam pecunia belli nervo, pertinacissime sub imperio retinuit. Eutrop.lib. 8. in Aurelii vita: Provinciam, inquit, Daciam, quam Traianus ultra Danubiū fecerat, intermisit, appellavitque eam Daciam, quæ nunc duas dividit Mœcias, & est in dextra, Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in læva. Decebalus itaque ejusdem regionis Rex seu Monarcha cum Vlpio Traiano Romano Cæ-

septentrionum oris eo prodiisse. Testatur hoc Hieronymus, Scridonii in Dalmatia Hungariæ vicinia natus. *Ab ultima*, inquit ad Oceanum scribens, *Mæotide*, inter glaciale *Tanaim* & *Massagetarum* immanes populos, ubi *Caucasi* rupibus feras gentes *Alexandri* claustra cohibenteruperunt *Hunnorum* examina, quæ pernicibus equis huc illuc volitantia cadibus pariter ac terroribus cuncta compleverunt. Addunt alii occasionem, fabulæ iisdem quam historiæ propiorem; Venatores quosdam superata *Mæotide* palude, per quam fera fugiens transitû ante ipsis monstraverat, in Europam penetrasse, ac cæli temperiem terræque fecunditatem, multum ab illa *Scythici* cœli inclementia diversam vehementer admiratos: eorum prædicatione infinitam hominum multitudinem excitatam, sterili deserta regione in *Pannonias* & vicina loca commigrasse. Prima dimicatio *Hunnis* cum *Alavis* fuit; quibus pulsis, castra ad *Tibiscum* usque promoverunt. *Pannonias* tum *Gothi* incolebant, gens bellicosa quidem quæ tamen & ipsa *Hunnorum* furori cedere coacta fuit. Et *Ostrogothi* quidem, quibus belli fortuna pepercerat, cum *Hunnorum* gente postea adfinitatibus coaluerunt: *Vestrogothi* verò in *Myfiam* & *Thraciam* sese receperunt.